



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. F. Ioannis Nider Ordinis Prædicatorum Theologi De Reformatione Religiosorum Libri Tres**

**Nider, Johannes**

**Antverpiæ, 1611**

Qua in re à nobis stant, excellenti ingenio viri, qui Sedis Apostolicæ, eiúsve ministrorum facultate, libros ediderunt, in quibus, Catharinam stigmaticam Dei ancillam fuisse, perspicuis verbis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45728)

## §. VII.

SED nouo id argumento confirmo. Etenim Sixtus (cuius vestigiis, moderatione adhibita, Innocentius infistebat) non id tantum præceperat, ne quis illas imagines pingeret; verum etiam ne de Catharina scriberet, aut de superiori loco Dei verbum tradens asseueraret eam stigmata habuisse: & tamen, vt prius ostendimus, & postea quoque demonstrabimus, plurimi, nec infimæ quidē classis auctores, tam sæculares quàm diuersorum Ordinum sectatores, qui Sedi Apostolicæ obsequentissimos se perpetuò exhibuerunt, quorumque nonnulli Franciscani fuere, alij opera sua Summis Pontificibus Sixto Innocentioque posterioribus dicarunt, scribunt id quod Sixtus prohibuisse existimatur. Si igitur hæc lex, quod attinet ad scriptores & prædicatores, omnino reuocata censetur; cur non etiam quoad pictores? Nam diuus Basilius (in actione 1. Synodi secundæ Nicenæ laudatus) in Sermone de quadraginta Martyribus, sanctus Nilus ad Olympiodorum, sanctus Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxa c. 17. & sanctus Papa Gregorius tum in Epist. 109. lib. 7. tum in nona lib. 9. (quæ citat Adria-

E e 2

nus

436 DE D. CATHARINÆ SENENSIS  
nus Primus scribens ad Carolum Magnum,  
recipiturque in cap. Perlatum, de consecra-  
tione, distinctione 3.) docet, imagines esse  
libros illitteratorum. Quam doctrinam am-  
plectitur quoque sacrum Concilium Tri-  
dentinum sess. 25. cap. 2. Octava præterea  
Synodus generalis, tam affinem putauit do-  
ctrinam picturæ, vt cap. 7. actionis 10. simul  
cauerit, ne hæretici docerent, & ne pinge-  
rent in locis sacris. Euidens planè signum,  
picturam esse doctrinæ & scripturæ cogna-  
tam. Si ergo scriptores & concionatores, ab-  
que vilo prorsus cōscientiæ angore aut pon-  
dere, de stigmatibus Catharinæ scribere ac  
verba facere potuerunt, non secus quàm si  
propriis luminibus omnium præceptorum  
ac minarum abrogationem legissent, cur so-  
lis pictoribus atque statuariis religionem in-  
iiciemus? præsertim cum doctissimus vir  
Melchior Cano Episcopus Canariensis lib. 9.  
De locis Theologicis cap. 5. scribat Six-  
tum IV. Catharinæ stigmata minimè ap-  
probasse, sed alium Pontificem ea recepisse;  
id verò ab aliquo ex proximis Sixti & In-  
nocentij successoribus propterea factum cre-  
dimus, quia, vt postea dicemus, & rei veri-  
tatem planè agnouit, & difficile existimauit  
cognitu, quæ imagines ante annum M, cccc.  
xc. & quæ postea depictæ fuissent.

§. VIII.